migremus caritate sursum habitemus caritate illa qua diligemus
deum; nihil aliud in hac ciuitate nostrae peregrinatione meditemur,
nisi quia hic non semper erimus. et ibi nobis locum bene uiuendo
praeparabimus unde numquam migrabimus; Dominus enim noster
iesus christus postea quam resurrexit iam non moritur. et mors
ei ultra sicut apostolus dicit non dominabitur, Ecce quod
amemus. si uiuimus. si in ipsum credimus qui resurrexit. et da
bit nobis non quod hic amant homines qui deum non amant. aut
tanto plus amant quanto illum minus amant; aut tanto hoc
minus amant quanto illum plus amant. sed quid nobis illum promisit videamus
misit, Non diuitias terrenas et temporales. Non honores
et potestates in saeculo isto. uidetis omnia haec dari et hominibus
malis, Ne magni pendantur a bonis. non ipsam postremo corpo
ris sanitatem. Non quia ipse illam non dat. Sed quia ut uide
tis et pecoribus dat, non uitam longam; Quid est enim longum
quod aliquando finitur. Non pro magno nobis credentibus;
Promisit longeuitatem. aut decrepitam senectutem. quam
omnes optant antequam ueniat. omnes de illa cum uenerit mur
murant; non pulchritudinem corporis. quam uel corporis mor
bus uel ipsa senectus quae optatur exterminat; uult esse pul
cher. et uult esse senex; Ista duo desideria concordare sibi invicem non pos
sunt, Si senex eris pulcher non eris; quando senectus uenerit pul
chritudo fugiet. et in uno habitare non possunt. uigor pulchritu
dinis. et gemitus senectutis; Omnia ergo ista non nobis promi
sit qui dixit. qui credit in me ueniat et bibat. et flumina de
uentre eius fluent aquae uiuae, Uitam aeternam promisit. ubi
nihil timeamus. ubi non conturbemur. unde non migremus. ubi
non moriamur. Ubi nec decessor plangatur nec successor
speretur; quia ergo tale est quod nobis promisit amantibus;
et spiritus caritate feruentibus; Ideo ipsum spiritum noluit dare
nisi cum esset glorificatus. ut in suo corpore ostenderet
uitam quam modo non habemus sed in resurrectione speramus;

EXPLICIT XXUIIII INCIPIT XXX

ABEO LOCO UBI AIT EX ILLA ERGO TURBA CUM AU
ADISSENT HOS SERMONES EIUS USQUE AD ID QUOD

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0071